



**S**ebastianus Reisacherus natus est Otingæ Ba-  
 varicæ ex honestis parentibus, anno 1531, die 26  
 Februarij. puer literis in patria & vicinis locis im-  
 butus est. Post anno 1548 ex patria profectus, uenit  
 Ingolstadtum, ubi aliquantisper discendis artibus li-  
 beralibus inhæres, præsertim uerò domi mutos ad-  
 hibens præceptores, Ramum & omnes methodi  
 scriptores, nec nõ paulatim maximos philosophos  
 illustrans, docet aliquot annis priuatim, publicè ue-  
 rò frequenter disputat atq; perorat, magisterq; phi-  
 losophiæ creat. Anno deniq; 1554 professioni Græ-  
 carum literarum publicè præficitur, cui triennium  
 integrum non sine gloria inhæret. Dum interim e-

tiam coniugio Ingolstadtij deuincitur, anno scilicet 1556, ducta Abrahami Lœ-  
 scheri primæ coniugis sorore. circa quod tempus uatidicis studijs plurimum  
 operæ sapienter impendebat, cuius studiij & magiæ quædam eius subtilissimæ  
 extant impressæ conclusiones.